

## CODEX 17. olim signatus 1/15.

*Foliorum 145, 320 : 228 mm., lineis plenis exaratus saeculo XII. Tituli rubricati, litterae initiales praeter duas „Frowinianas“ artificiose delineatas minio tinctae sunt; nonnullae tamen erasae et per manum saeculi XII. exeuntis conspiciuntur resectae figurisque decoratae.*

Aurelii Augustini De Civitate Dei contra paganos libri decem priores.

*Praecedit caput 43. ex libro secundo retractationum s. Augustini. Interea Roma Gothorum irruptione — gloriosissimam civitatem Dei. P. L. 32, 647—648. Ad calcem codicis aliquot folia per vim et nefas excisa sunt, ita ut liber decimus in capite 26. desinat his verbis: alios autem qui in terris ea quae patris sunt, et al || P. L. 41, 13—304.*

---

## CODEX 18. olim signatus 1/16.

*Foliorum 123, 312 : 220 mm., lineis plenis exaratus saeculo XII. sub b. Frovino abbate, quod probant versus sequentes in fronte codicis:*

Hic Augustini liber est opus ac Froeuini,  
Alter dictavit, alter scribendo notavit.

*Rubricatus et rubris litteris initialibus ornatus, inter quas duae occurrunt, quibus manus non multo recentior figuras adjecit.*

1° Confessionum Aurelii Augustini libri tredecim. Fol. 1—122.

*P. L. 32, 659—868, praemisso capite sexto libri secundi retractationum. Confessionum mearum libri — Magnus es domine. P. L. 32. 632.*

2° *Versus quatuordecim praeliminarii in apologiam beati Berchtoldi, abbatis Engelbergensis (1178—1197) contra Falsam et damnandam compilationem abbatis Burchardi in Turtal, de quibusdam justis ante passionem Christi defunctis. Fol. 123'.*

Omnis homo hic sanctae quamvis studuit fore vitae . . .